

puta ex fide, juxta Rom. IX, 31. 32. ceu pulchrè Brentius exponit, q. d. non sufficit, ferre sacrificia, quod vos forte facitis, sed justa afferenda sunt illa. Offerte sacrificia legitima, respicientiam testantia, in expiationem peccati vestri, corde prius ab omni amarulentiâ purgatô, inque charitate ex fide promanante fervidô, Matth. V, 23. Gal. V, 6. & sic sperate veniam. Fortasse etiam David perniciosam hostium imaginationem sic voluit perstringere, quâ Dei opem victoriamque se impetraturos opinabantur, adductis sacrificiis copiosis; (1. Sam. XIV, 18. XIII, 9. XV, 15. Psal. xxx, 7. Jesa. I, 11.) quæ ipsa tamen, cum non essent sacrificia justitia, plus iræ, quàm gratiæ proritabant. Vel metaphoricè per hæc sacrificia intelligitur totus veri Dei cultus; sicut cor pœnitens dicitur verum sacrificium Dei, Psal. LI, 19. Atque huc respexit Chaldaeus, ita reddens, subigite concupiscentiam vestram (כבשו יצרתי & reputabitur vobis, quasi victima justitia. Sic preces quoque sacrificium dicuntur Psal. CXXI, 2. Jesa. LVI, 7. vid. Glass. l. 5. p. 428. in Rhet. Sacr.

וּבְטוּחֵי וְסִפְרֵי וְסִפְרֵי וְסִפְרֵי) Est hæc quasi explicatio verborum tropicorum præcedentium: q. d. sacrificia justa sunt, confidere soli Deo, non autem iniquis machinationibus, aut humanis consiliis, proximum supplantare velle: (sic Brent.) vel effectus præmittitur sacrificiorum legitimorum salutaris, nim. posse sacrificantes in actionibus suis postmodum optima quæque sibi ex Deo polliceri, tanquam per Messiam placato patre, qui neminem frustra sibi cultum exhibere patiat.

## EXPLICATIO VERSUS VII.

רבים multi: scil. ego David & socii fugæ meæ in angustiis constituti, suspiramus, ita Aben Esra. Vel communiter fideles, turbamur, pertæsi, tam in corde, quam in privatis discursibus ingemiscunt anxie, exoptantque meliorem rerum statum. Quæ ipsa passim frequentata hominum suspiria non malè subnectuntur hostium commotionibus turbulentis, vers. 3. ut genuinum se David pastorem gregis universi demonstret, qui omnes ad optimum quietis genus perducere allaboret, adeo ut & inimici & amici frui queant verò summôque bono.

מי יראנו quis videre faciet nos bonum: h. e. ô utinam aliquis exhiberet nobis bonum! Nam Ebraei optativum interrogativè solent efferre, v. g. quis dabit? h. e. ô si quis daret! Ps. XIV, 7. Ex. XVI, 3. quis deducet me? sic 2. Sam. XV, 4. XXIII, 15. Porro ostendere bonum, non est oculis è longinquo spectandum præbere, ut Mosi ostensa Canaan, Deut. xxxiv, 1. sed reipsâ ad fruendum, quid alteri exhibere: quippe videre, idem quandoque per meton. ac frui, ut Psal. xxxiv, 13. xxvii, 13. Sic videre famem, gladium, h. e. perpeti Jer. V, 12. Sic Cob. III, 13. טוב ראה vidit bonum in omni labore: c. II, 1. טוב ראה vide vel fruiere bono. vide Druf. l. 2. misc. c. 51. Prima Lutheri versio: wer zeigt uns/was gut ist? Adeoque optatur Bonum tum ecclesiasticum, tum politicum, tum æconomicum.

אֶטוּל attolle: pro נשא quomodo Psal. X, 12. exstat, attolle manum. Nimir. per alternationem literarum אהוי consuetam, notante Masorâ, positum est הוה loco נ, & ob identitatem soni הוה loco

אֶטוּל, exempla passim obvia, ita Aben Esra, Michol Jophi, Rasche, &c. Radix אֶטוּל tulit, item abstulit, extulit, sustulit, pertulit, h. l. attollere lumen vultus est arrigere blandientem amicumque vultum. Nam Lumen vultus idem verè est, quod Latinis frons serena, exporrecta, non nubila, quam sequitur exauditio & auxilium, ut Psal. xxxi, 7. Huc Benedictio solennis Num. VI, 22. seqv. Est verò hoc Davidis suspirium loco responsionis ad præcedens votum, quis nobis ostendet restituetve tandem aliquando bonum? ô Jehova attolle &c. quo ipso simul docet, quis voti illius compotes nos possit reddere, nempe solus Deus. R. Salomo censet alludi scriptione hac ad אֶטוּל vexillum, h. m. eleva super nos אֶטוּל in signum, aut vexilli loco lumen vultus tui. Mirè autem discedit rursus Vulgata: signatum est super nos lumen vultus tui; ex quò Valerianus M. olim in regula credend. collegit, lumen rationis naturalis nil aliud esse, quàm impressionem divini luminis indelebilem in suprema parte hominis, ceu Thomas loquitur, 1. secunde quæst. 91. a. 2. & q. 19. a. 4. quem sequuntur Bellarm. b. l. & l. 3. de grat. & lib. ar. c. 2. Molina de just. & ju. tr. 1. dis. 3. Suarez. de leg. l. 1. c. 3. Gr. de Valentia t. 2. d. 2. quæst. 14. p. 6. Cummel in t. Tho. quæst. 16. a. 1. d. 1. resp. ad 4. &c. Verum quàm arenosum hoc fit fundamentum, quivis videt, cui Fontes curæ cordique, vide Gerh. exeg. t. 1. p. 671. Meisn. de legib. p. 130. De indelebili sacramentorum caractere, per sacramenta animæ impresso (quia signatum super nos lumen vultus divini,) à Scholasticis ex textu hòc eliticò, vide sis B. Gerh. t. 4. LL. de sacram. §. 100. p. m. 484. De imaginum etiam adoratione, quia super sanctos signatum lumen vultus Domini, secundum iconolatrias in concil. Nic. II. vide Cent. Magdeb. 8. c. 9. p. 650. obj. 35.

פניך vultus tui lumen: h. e. vultum tuum lucidum ac serenum, secundum indolem illam linguæ, qua substantivum prius induit adjectivi naturam, ut captivitas populi, pro populo captivo, Psal. XIV, 7. &c. Porro facies per anthropop. notat Dei præsentiam; eamque vel iræ; vel gratiæ, ut h. l. ceu ex אֶטוּל patet, gratiosam adessentiam, designat.

## EXPLICATIO VERSUS VIII.

נתתה dedisti vel dabis: præteritò ob certitudinem pro futurò positò, hoc sensu; si attolles vultum tuum super nos gratiosum, majore me lætitiâ explebis, quàm quæ aliàs oritur mundanis ex copiosa vindemiâ vel messe. Lutherus præteritum accepit pro actu consueto & continuo: du erfreuest (prius: damit du giebest Freude in mein Herz: adeoque coherent hæc cum voto antecedente, attolle vultum serenum, ejusque exauditi effectum commendant, q. d. adeo jam de ope tuâ, precibus nostris promissâ, certus sum, ut triumphem jam in spe de adversis propediem superandis omnibus.

שמחה gaudium: scil. sacrum & conscientiæ, quò abundè fatiatum me lubens profiteor, adeo ut mundanorum penitus obliviscar, te solò propitiò contentus, simulque indubius, horum, quæ vitæ caducæ sunt necessaria, nihil mihi defuturum, etiam in extremis angustiis hostilibus, gravissimâque indigentia, cum lumen tui vultus nos nullo carere sinat necessario.

כלבי